



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-1661-p0002-3

DFG

AK. 534, 46.

B. m

II C  
1686

# PHLOGOLOGIA *sive* ODÆ DE FLAMMA OCTUPLICI.

1. Solari.
2. Naturali & Elementari.
3. Culinari.
4. Cupiditatum Carnali.
5. Spirituali.
6. Crucis.
7. Infernali.
8. Admiranda.

*His adjuncta*


## DESCRIPTIO SPECUS BUMANNI

CÆ, vulgo Bumanshöf / vicinæ Ferrariae, quam dicunt  
Rübelandum, haud procul ab Oppido  
Eiligeroda.

Auctore

M. FRIDERICO HILDEBRANDO,  
P. Cæs. Scholæ Northus. ConR.

NORTHUSÆ, Typis HTNITZ SCHIANIS,  
ANNO M. DC. LX.





Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo

Prudentissimoq; Viro,

DN.

**JOHANNI GEOR-**  
**GIO WILDIO, Reipublicæ Liber.**

Imperialis NORTHUSÆ

*Consuli gravissimo, spectatissimo,*

*Historico Summo,*

*Musarum Evergetæ Optimo, Maximo,*

**De Bonis benè merito, merenti; de se optimè,**

**Officii debiti testes, Observantiæ indices**

*Has pagellas  
Seq; sacrans æternū*

Patrono Cliens

D.D.D.

**M. FRIDERICUS HILDEBRAN-**

**dus ConRect,**

## PHALEUCUS.

**D**um stringo calatum lubetq; magnis  
Quæsitas meritis, Patrone, laudes  
Versu dicere longiore, Apollo,  
Non ille Ethnicus, ille Christianus  
Aurem vellit & insusurrat: aufer  
Manum de tabula stylumq; pone,  
Parvum parva decent, jube Maronis  
Aut Flacci canat æmulus Poëta  
Tanta, tu breviore rem Phaleuco  
Expedi, neque rara tot brabéa  
Virtutis refer Ingenîque culpa  
Laudes detere: solus ille Patres  
Inter Northusios micat, minores  
Ceu Phœbe vaga fulget inter ignes,  
Musarum Columnen, Caput Senatus,  
Curiæ Decus & reorum Asylum:  
Æqui, juris; amans, peritus; utque  
Res poscit Facilis, Severus idem;  
Qui cum sit solidæ Eruditionis  
Præfulgens Jubat, æstimare novit,  
Quantum splendida differant lupinis  
Æra. Quas pedibus perambulare  
Terras, vel loculi vetant inanes,  
Aut gravis prohibet metus pericli,  
Indies peragrat sagace mente,  
Evolvens nova scripta cum vetustis;  
Quo nemo penetrat pedesve equesve,  
Nec, qui classe cita pererrat æquor,  
Hic quæ sit Regio, Instituta, Leges,  
Moresque indigenum suos ad ungues  
Callet Wildius, ipsus eruditè

A 2

Nostrò

Nostro ævoque priore gesta narrat.  
Quapropter sine dicat Ordo Vatum  
Majorum Decora hæc & illa, quorum  
Vix umbram licet assequi beatis.  
Progressis Laribus: quiesce, major.  
Hæc Virtus numeris tuisque canis;  
Si tamen libeat sonante plectro  
Versum fundere, Vivat, inqve, Vivat  
Wildius repetatque serus astra!  
Dixit Phœbus & in leves recessit  
Auras; Jussa libens volens capessō  
Et Regem superūm precor, precabor,  
Dum vita dabitur frui fugaci,  
Ut rerum Deus Arbitr̄ perenni.  
Domum Wildiacam coronet ævo  
Gratiâ, Benedictione, Vita:  
Gratiâ, Benedictione, Vita,  
Wildius vigeatque floreatque,  
Consul, consilio regat tegatque  
Solerti bona Jura Civitatis,  
Templorum bona jura, jura Ludi,  
Qui rudem regit; erudit Juventam.  
Illi pateant forces merenti,  
Clausæ non meritis; malosq; pœnæ,  
Bonos præmia consequantur æqua,  
Tumultus sileant gravesque cessent  
Lites, Consule Wildio sepultæ:  
Pax Urbem beat, ac beata pleno  
Fruges Copia fundat usque cornu,  
Nec stantem ante diem, vovemus omnes,  
Queis curæ est Patriæ salus decusque,  
Mors duro pede proruat Columnam.

PRÆ-



## PRÆLOQUIUM.

**D**um modò maturis falcem supponit aristis  
Agricola, & ruri nobile fervet Opus;  
Dum Proeyon latè spargit ferventior ignes,  
Et passim gravidos æstus adurit agros;  
Dum pueris concessa fores clausere Lycei  
Otia, me Vatum plectra movere juvat.  
Nec te, Latöide, neq; te voco, Pieri, versum  
Scripturus, Clarias tolle, Thalia, fides:  
Vestra etenim, quæfo, quid Numinæ? Nomina, nugæ,  
Umbræque & nebulæ, nil nihiloq; minus.  
Deliris egorellinquent commenta Poëtis.  
Te precor, ô Regum maxime, Fova juva:  
Sic sua non menti, non lingvæ gratia deçerit,  
Sic facili vena carmina cœpta fluent.  
Multiplices varii generis dabo carmine *Flammas*,  
Quarum Æstas sitiens nos meminisse jubet.

## DE FLAMMA SOLARI

*Oda dicilos tetra strophos Sapphica.*

**A**rma jam promtè tua grex Agrestum  
Expedi, arenem celeri Leonem  
Transiens curru geminat calores  
Orbita solis.

Ecce! flavescens gravidis aristis  
Campus invitat, cape, dextra, falcem,  
Dextra præduri teneris ab annis  
Sveta laboris.

Servies scenæ cumeras inanes  
Frugibus stipans: Benedictione  
Cælica spondent opulenta ditem  
Gargara messem.

Fervidus siccōs coquit æstus agros,

Excoquit: rores pluvios anhelant

Prata cum sylvis, sitibunda tellus

Invocat imbrēs.

Flora jam raro redimita flore,

Plorat hortorum Decora interisse,

Dum jubar Phœbi roseum rubenti

Candet Olympo.

Dumque flagrantes jaculatur ignes,

Respuunt Musæ solitos labores,

Mentium friget vigor, ora pallent,

Corpora langvent.

Aridæ sauces Juvenum Senumque

De siti sieca nimiūm queruntur,

Et Palatino cyathos Amicis

More propinant.

Cum suo Pastor grege captat umbras,

Cum feris Venator amat reductas

Montium valles, fugiens furentis

Spicula Phœbi.

## DE FLAMMA NATURALI ET ELEMENTARI Oda dicolos distrophos.

**C**ùm stellis distincta novi laquearia Cœli

Verbo Creator præpotente conderet;

Cùm molem ingentem terræ pelagiq; profundum

Auris in ipsis, cœu pilam, suspenderet;

Cùm pecudes, pisces, volucres hominesq; sagaces

Juberet orbem permeare conditos,

. Ignem elementarem primūm per singula rerum

Spargebat, unus omnium Pater, DEUS:

Frigida commiscens Calidis, atq; Humida Siccis,

Fovebat igne, quæ rigeabant, corpora:

Hic

Hic penetrat nervos, venas imasq; medullas,  
Compaginemq; firmat omnem corporis;  
Hæc dum Flamma viget mortali in corpore, vivit,  
Quodcunq; vitam cœpit olim vivere;  
Quod si foeda Lues forsan, si querquera Febris,  
Si dirus Hydrops, sive Tabes langvida,  
Aut etiam tristis Senii miserabile frigus  
Absumat Ignes insitos, aut opprimat,  
Ruptis corporeis vinclis brevis evolat Hospes,  
Animamq; pernix ala ad astra subvehit;  
Exanimum, trunci jacet instar corpus & omni  
Orbata motu membra frigent ac rigent.  
Consilio nostro, si quid sapis, utere, si quid  
In parte lœva pectoris salit salis,  
Igniculos omni studio, cura, arte latentes  
Tuere, dicto Temperantis audiens,  
Ut quondam sacros ignes, Vestæq; calentes  
Custodiebat Virgo pervigil focos.  
Immodicos haustus vini nimiosq; labores  
Æstusq; vita, ut viperam, libidinis,  
Vita. Vitali sic intus ab igne calesces,  
Dum sera vitæ fila scindat Atropos.

## DE FLAMMA CULINARI

*Scazon.*

**N**ec vos silentî fumidos tegam velo  
Ignes Culinæ, flagitante quos usu,  
Excisa latis ligna nutriunt sylvis.  
Aras Penatum jussus instruit prunis  
Emtas, inemtas apparans dapes Coctors;  
Elixa poscit, poscit assa non parcit  
Heri palatum? poscit, & focus reddit.  
Emollit ignis dura, mollia indurat,

Frangit

Frangit metallā, ferrum & aurum & argentum  
Cudit; recudit Officina Fabrorum.  
Steropes, Pyracmon i&tū & igne cūm Bronte  
Æris rigorem molliunt, domant, vincunt.  
Flam̄mis coquuntur Hordeacei potus,  
Qui vix priores, Bassareu, tuis succis  
Partes relinquunt: Vina, queis dedit vitem  
Fortuna, fundant; vina cantharis plenis,  
Quæ sint propinquis nata collibus Nicro;  
Tingat meraco Pontifex pavimentum,  
Qui cum Cyclope fortè maximum retur  
Ventrem Deorum, sola Tritici grana  
Recocta in undis hordeivé poscentum  
Siti levandæ commodum dabunt potum,  
Quo, more potor non probō saburratus  
Liquore, nectar Regibus suum ducit  
Haut invidendum, vina suggerunt fruges.  
Rhiphaea cum nix altior tegit montes  
Viduos decore, cumque fluminis ventus  
Arctous undasasperat, gemunt sylvæ,  
Canent pruinis, stiriæ graves tectis  
Barbisq; pendent, artubus gelu pulso  
Semper fovendis sufficit focus flamas.  
Ignisq; & Unda, opinor, optimæ rertim.

## DE FLAMMA CUPIDITATUM

CARNALI Oda Monocolos.

**H**umanæ variis ignibus æstuant  
Mentes, lethiferis quas lita toxicis  
Percussere feri tela Cupidinis,  
Hic lucris inhians, ceu lupus hinnulis,  
Nec censu modico, nec Lare patrio  
Contentus, medias inter opes inops,

Numo-



Numorum cumulos undique congerit,  
Cum farsit cumeras, horrea, cistulas,  
Saccos & loculos, nil avido est satis,  
Curtæ, nescio quid, semper abest rei.

Est, qui tergeminis auctus honoribus  
Majores titulos ambit, & anxiō  
Famæ gloriolam captat anhelitu.  
Ardenti studio laureolam comis  
Innebit, famulos imperio premit,  
Longo per plateas quos trahit ordine  
Otentans tumido stultitiam gradu:  
Majori meritis invidet, imparem  
Temnit, ferre parem ringitur, ac dolet  
Non alta astra suo vertice tangier.

Potorum bibulum vina liquat genus,  
Ardoremque sitis perpetuæ levat  
Zytho, si madidi munera Liberi  
Desint, ora mero tingere non minus  
Gaudet, quam putridis rana paludibus.

Est &, qui Juvenum de grege fervido  
Adspectu teneræ Virginis uritur,  
Quem vultus Lalages lubricus adspici  
Ac splendens Pario marmore purius,  
Electrum ut paleas, attrahit, allicit,  
Quandoq; infatuat, porci etiam, Proci  
(Fallit lingua) Proci dicere debui  
Interdum liciti ridiculè satis  
Contra fas violant jussa Cupidinis,  
Cui laxant nimium fræna, Libidinis  
Et victi & domiti non facili jugo.

His flammis hominum maxima pars furens  
Torquetur miseris (rem miseram!) modis:

B

Usque

Usque, usque, usque viget flamma Cupidinum,  
Ac vivit medio in pectoro, quam duce  
Usque, usque, usque Deo mens bona reprimat.

## DE FLAMMA SPIRITUALI

*Oda dicolos distrophos.*

**I**Llusus satanæ dolis,  
Ut pomum vetitum Terrigenum Parenſ.  
Infelix tetigit manu,  
Mox lucem tenebræ, Justitiam ſcelus  
Vitam mors, requiem labos  
Moeror lætitiam, proh dolor! ætheris  
Irato pepulit Patre.  
Ex hoc res hominum quæque fluit, ruit,  
Tellus cum pelago malis,  
Eheu! mille malis ingemit obruta:  
Tristi corda gelu rigent,  
Extinctisq; ſacris ignibus, occupant  
Mentem horrentia frigora.  
At quò melachrymæ, quò rapiunt novi  
Me queſtus? Bene res habet:  
Ignis namque ſacer lapsus ab æthere  
Rurſum propitio Deo,  
Lapsorum ſubiit frigida pectora.  
Atque ignes retulit ſacros,  
Qui ſunt Spesq; Fidesq; & nova Charitas.  
His mens credula flammulis  
Inflammata ſuo quām cupidè cupid  
Inſervire Deo, ſimul  
Exoptata ſitit ſidereæ Domus  
Plauſus, gaudia, jubila  
Cæleſtem patriam viſere geſtiens.

Ad

**A**d sublimia nubium  
Tendit flamma volans, nec cineres amat;  
**S**ic mens ignea Spiritu  
Impulsa ætherio temnit inhospita  
**M**undi tesqua, fugit soli  
Tricas atque citis tendit ad arduas  
**A**rces impigra gressibus,  
Ut quondam usta sacris ignibus, obtulit  
**T**ortori faciles manus,  
Plantas compedibus, colla neci, probat  
**S**ic testata Fidem notæ  
Uni turba Deo dedita Martyrum.  
**N**ostro in pectore, quæsumus,  
Da, ter sancta Trias, flagret Amortui,  
**C**um spe viva Fides flagret,  
Dum terræ dabitur munere vescir.

## **D**E FLAMMA CRUCIS

*Oda tricoloris tristrophos.*

**Q**ua, quæso, flamma, quæsis adusta Solibus,  
Sponsa nigella places,  
Places Redemptori Deo?  
Quæ messe sicca torridas fruges legit  
Candidiore nitet  
Inculta fronte Phidile:  
Pulchella mirè, bellula & venustula  
Cerva, Columba, Soror  
Sponsi decora diceris;  
Poli soliq; prænitens Jubat, Decus;  
Undenigor, facies  
Excocta & atra brachia;

B 2

Sed



Sed quid? quid? omnis cesseret admiratione  
Sole perusta crucis.  
Atrata prodis scilicet,  
Intus forisq; maceraris, angeris;  
Cura dolorque novus  
Cum mente corpus atterunt.  
Te semper iris æstuans, spirans minas  
Invidiaque furens  
Circumstat hostium phalanx.  
Floret vigetq; tutta & affluit bonis.  
Colluvies Scelerum  
Ignara sortis asperæ,  
Nescit querelas, damna nescit Impius,  
Vita soluta malis  
Molestiisque defluit.  
At te malorum fluctibus minacibus,  
Non prohibente Deo,  
Fortuna tristis obruit:  
Tu celsa Turris Africis furentibus,  
Metaque fulmineis  
Objecta telis omnium.  
Tu ter misella & amplius noctes, dies  
Sole sub ignifero  
Crucis prementis exigis.  
Hos perfecr ignes: ustulatus Conditor  
Ignibus hisce suum  
Sudavit olim sanguinem,  
Amore nostri percitus tergum flagris,  
Collaque sponte cruci  
Neciique corpus subdidit.  
Sis atra fumo, torreare & æstues,

Parce



Parce metu, tolera,  
Spe vince, mitte murmura;  
Nectar dapesq; sint tuæ, dum vixeris,  
Et lacryma & latere  
Petitus imo spiritus;  
Confide: palma te manet, brevi dies.  
Perdita restituet,  
Ademta reddet ultimus.  
Suspende fletus: nam Deus solatii  
Arida mellifluo  
Rigabit ora flumine.

## DE FLAMMA INFERNALI

*Oda dicolas distrophos.*

**Q**uò ruit? an demens horrentia tartara culpis  
Addicta vulgi sex subit?  
Imò etiam cursu sceptris insignis & ostro  
Huc Ordo tendit improbo.  
Auri lamna Deo, cœlo præfertur Adonis,  
Honor, Voluptas. Impie,  
Siste gradum, remea, stygia nemersus abyssō  
Urare flammis inferis,  
Vindice quas superi succensas Numinis ira,  
Orciq; structas Præsidi  
Non undæ maris extingvent, non longior ævi  
Vetus unquam finiet.  
Heic ardens Phlegeton nebulas fœdamq; mephitim  
Exhalat haustum perditis.  
Multiplici munita quatit serpente flagella  
Megæra vultu tetrico.  
Hæc tam dira Stygis latratu regna trifauci  
Informè monstrum personat.

B 3

Sulphu.

Sulphureis hujus stagni Draco pestifer undis  
Natat, natabit perpetim.  
Hæc damnatorum resonant ululatibus antra  
Horrenda, tetra, squalida.  
Hic cum fure latro, sævo cum Principe pœnam  
Pendens Minister uritur.  
Qui toties puro madefecit sangvine ferrum  
Ferus Tyrannus uritur.  
Hic osor Fidei veræ, contemtor Olympi,  
Nepos, Avarus, uritur.  
Immodico quondam lavore oraarentia suetus  
Liquore Potor, uritur.  
Immitis Pharao, Saulus truculentus, Achabus  
Cultor Bahalis uritur.  
Quicquid & hîc laqueos, gladios ignesq; nocentum  
Effugit, illic uritur,  
Uritur ureturq; Deo dum Rege fructur  
Cœtus fidelis gaudio.  
Vermis non moritur, tortor non deficit, ignis  
Non cessat ustos urere  
Nullaq; solati supereft spes, nulla quietis  
Clausis averni carcere  
Gratia, summe Parens, tibi sit, tibi gratia, JESU,  
Tibiique, sancte Spiritus,  
Confisoste, teq; Deus ter Maxime fretos  
Quæ flamma tangat? Hic Fides,  
Hic Pietas scelerumq; odium, patet ætheris aula,  
Ubi optimè manebimus.

## DE FLAMMA ADMIRANDA

*Oda tricolors tetrasstrophos.*

**Q**ui mira cœli, miraque maximè  
Miranda terræ mente perambulas,

Examini-

Examinas, volvis, revolvis,  
Ignivomos meditare Montes.  
Cùm se rapacis maxima vis noti  
Terrai in imos insinuat sinus;  
Cùm montium ventus latentes  
Vi tacita penetrat cavernas  
Picisq; massa & sulphureum solum  
Repente flamas concipit, ac viis  
Erumpit obstructis tremente  
Æquore, monte, domoq; ventus:  
Ruptis habenis fit via vi notis,  
Et clausa cœco carcere flamina  
Commista summis atque flammis  
Nubila summa petunt & augent.  
Qui civis amplam Parthenopen colit  
Ripasq; Sarni ruraq; fertili  
Amica Baccho, omnis Vesevi  
Accola jam tremit & stupescit,  
Dum montis hujus mira tonitrua  
Distincta densis fulgere ab ignibus,  
Tellure disrupta per agros  
Jam cineres lapidesq; jactant.  
Horrore multo stat coma, gutture  
Vox hæret imo perq; trementia  
Sudor fluens decurrit ossa,  
Mentem animumq; tremor pererrat:  
Namque ipsa tellus testaç; sentiunt  
Dirum fragorem cum pelagi fretis,  
Incendiumq; & triste lethum  
Indigenæ metuunt trementes.  
Solare sumi vis jubar obtegit  
Et nocte terras vel medio die

Obnubit,

Obnubit, at lucem reducit  
Flamma furens medio Veseyo.  
Ira supremi Numinis oppida  
Absumta flammis aut cinere obruta  
Jacent, situque æstuque colles  
Vitiferi biferiq; squalent.  
Tum fassa culpam gens prece supplice  
Campana cœlos auxilio vocat,  
Grandesq; poenas deprecata  
Templa frequens adit omnis ætas.  
Hos olim ad ignes dum proprius pedem  
Ferens, laboris Plinius impigri  
Indagat incendi sagaci  
Mente modos tacitasq; caussas  
Vapore clausis faucibus igneo  
Fumoq; nigro concidit, interit  
Interq; passim strata flammis  
Funera, pars jacet haut pusilla.  
Sic Ætna miris inclutus Ignibus  
Tot secla fumat, fumat & horridis  
Prorumpit interdum caminis  
Flamma, tremente solo Sicano.  
Hic fabricatur fulmina, ceu refert  
Vetusta Vatum fabula, Mulciber,  
Et qui ministrant huic Cyclopes  
Brachia vi vehementer jactant,  
Quandoq; vasta hac, qui recubat, latus  
Sub mole motat (credere si velis)  
Commenta prisorum) Typhœus,  
Trinacriæ trepido colono.  
Sed fabularum quid referam logos?  
Persæpe mons hic fumigeros suos

Eruat

Eruat ignes atq; terret  
Horribili Catinam fragore:  
Tum spissa nubes fumi operit polum,  
Sparsiq; vastant sulphurei globi  
Vineta, non paucis accervi  
Suppeditant cinerum sepulchra.  
Sic Hecla flamas evomit, ultima  
Quà cincta Thule stat glacie pigra,  
Quà frigus horrens arctat artus,  
Quà dominatur hyems nivalis.  
Albente rectis verticibus nive,  
Radice montis jugiter exilit  
Ignis perennis cum favillis  
Pulvere sulphureo remistis.  
Et te Chimæram dicere versibus,  
Poscebat ordo, sed vetat ingenii  
Visparca me tot tamq; mirè  
Mira modis tenuare parvis.

## HEROICUM

### DE SPECU BAUMANNICA.

**E**t sacra Mulciberi vallis ferri que ministris,  
Obliquas delapsa jugis ubi flumina ripas  
Lambunt, saxosas inter currentia valles;  
Hic, ubi per salebras Bodæ cadit algidus amnis,  
Amnis Bruæteridum dulcis, nec rara voluptas.  
Usque hic Vesta focus tumido calet excita folle,  
Malleus incudes iterato verberat iætu,  
Fervida carentis lamnas Ustrina metalli  
Fundit & obscuro fumoq; & pulvere nigra  
Culmina consurgunt, jacet amplio scoria campo.  
Hic humilis spectat molli de vertice collis  
Oppositos montes sibi suppositasque Tabernas,

C

Queis

at



Quis Rapæ faciunt, aut Præda, aut fabula nōmen,  
Fabula non priscis, quod opinor, prodita scriptis.  
**H**uc ades, hoc clivo non adscendisse pigebit,  
Quisquis aves novitatis amans cognoscere coram  
Naturæ genitricis opus, mirabile visu.  
Præcipiti in clivi calvum deduceris æquor  
Tramite, verticibus propior subsiste, Viator,  
Angustasq; viam monstrare & pandere cernes  
Caucaseis fauces horrentis cautibus antri,  
Indicio plebis Specus hæc Bumannica noto  
Nomine, Bumanneq; Cavum vulgi ore vocatur.  
**T**um Ducas experti vestigia certa secutus,  
Sarcinulis positis, posita formidine vana  
Et face dispulta nigrae caligine noctis  
Ingredere inque manus corpus demitte supinum;  
Abruptum os antri ventres excludit obesos  
Quosque metu fugiant minitantia saxa ruinam.  
Perque manus, ita perque pedes irrepe, neque horre,  
Quæ moles impendentes cervicibus extant.  
Ingresso domus ampla patet, satis illa Cyclopi  
Ennæo, simul atq; Caco satis ampla rapaci;  
Undique circumstant umbræ tenebræq; silentes  
Horrorem incutiunt: non hic Aquilonibus Austris  
Decertant zephyriva movet levis aura susurros.  
Non radio Titan penetrat, quo frigus opacum  
Mitiger aut noxem radianti dissipet igne.  
Huc nunquam madidi descendunt æthere rores,  
Nunquam Sythonia cæcum nive candicat antrum,  
Aut largo hos lapides pluvius Notus irrigat imbre,  
Quas nebulas exhalat iners Specus, ipsa solutas  
Haerit iisque madet; foret hinc fera Regia Ditis,  
Tartareæ Eumenidum sedes Hecatesq; triformis,

Hæc

Hâc defunctorum tenues dederet umbras  
Mercurius, tripodem Delphis transferret Apollo  
Atque huc se tenebris horrente Trophonius umbra  
Conderet; hic Vates sua somnia longa quietus  
Duceret, Alcides Eurysthei jussa capessens  
Regna per has fauces diri Plutonis adiret,  
Afflueret noster prisca. si Vatibus Hæmus,  
Sique oblectarent hodie commenta Poëtas.

Scissa vias aditusq; novos durissima rupes.

Atque novas aperit non factas arte cavernas,  
**Quas** Ariadnœ sine filo aut Indice certo,  
Introitu quoque non signato irrepere noli;  
Non est difficilis Gracili descensus, at inde  
Regredier, revocare pedes, evadere ad auras,  
Hoc opus, hic labor est. Dux præcat igne corusco,  
Dux fidus certusque, alias obstructa latibunt  
Ostia Cimmeriis tenebris & tristia tristi  
Ausa lues letho vivusque sepulchra subibis.

Hocce cavo stillant gelidæ de fornice guttæ,  
**Quas** lapsas aut labentes lapides cere stillas  
Cernes ac pendere, hyemis ceu frigore tectis  
Stiria dependet: nusquam mirabere visum,  
In silices undas molles & marmora verti.

Fons illic etiam gelidis pellucidus undis  
Visitur interdum solido prorumperet saxo,  
Cujus aquas certis morbis medicarier ajunt;  
Sunt & qui tacitas dum perrepere cavernas,  
Auribus hauserunt murmur sonitumque strepentis  
Fluminis; at propius non accessere, pericli  
Incertos dubiosque pedes revocant et timore.  
Credulus hic vulgus legit ossa aut osca saxa,  
Quæ lapides ego jactatos Epimethide dicam,

C. 2

Quos

AK  
1686

Quos invicta novi generis trahere insita formam  
Durities vetuit, tantum ossibus illa remansit;  
Aut Superos ausi (licet connectere veris  
Fabellas veterum) pugna tentare Gigantes  
Et struere ad cœli congestos sydera montes  
Hic recubant; trifido disjectis fulmine membris,  
Imposuit tumulum domitosq; hac mole repressit  
Jupiter atque iræ voluit monumenta relinquī  
Et dextræ, genus invisum qua vindice stravit  
Ac stygii fontes barathro demisit averni;  
Aut Deus, ut terras stagnis demersit aquarum,  
Terras foedatas culpis orbemq; malignum,  
Dejiciente truci scopulosa cacumina fluctu,  
Disruptæ rupes huc confluxere sub undis,  
Et mare, quæ passim stagnans animantia fudit,  
Decrescens invexit easque hac condidit alvo  
Relliquis. Si quid reliquum sermone pedestri,  
Dicet id Historicus, cuius pendebit ab ore  
Ac petet à scriptis dignum chartisq; relatu  
Cognoscendi avidus nova miraç; raraq; Lector.



lom

921

Pon IIc 1686, QK  
f





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-1661-p0024-5

DFG

**KODAK**

LICENSED PRODUCT  
Black

# KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Centimetres



AK. 534, 46.

PHLO

DE

1. Sol  
2. Na  
3. Cu  
4. Cu  
5. Spi  
6. Cr  
7. Inf  
8. Ad

DESCRIPT

CÆ, vulgò Gu  
Rübel.

M. FRIDE

P. Ca



NORTHUS

